

95.

Pro nostris et tocius reipublice arduis negociis procurandis t(alem) dilectum fi(lium) n(ostrum) ad tuam presenciam duximus fiducialiter destinandum, dantes eidem plenitudinem potestatis inter nos et te ordinandi universa et singula, que utriusque nostrum commoditatibus viderit oportuna. Quicquid itaque dictus t(alis) tecum nostro nomine duxerit ordinandum, in equo firmitatis robore volumus suffulciri, ac si statui, ordinari seu fieri contingeret per nos ipsos.

101.

Quia veri zelatores honoris imperialis existitis, prout fidei vestre attestatur veritas ac devoti operis plenitudo, fid(elitati) vestre duximus intimandum, quod in nobis et nostris precipue perfecta viget sanitas et placide fortune arridet prosperitas in negociis nostris omnibus iuxta votum. Ceterum sciat vestra fidelitas, quod omnes gracias, libertates et iura, que usque ad hec tempora possedistis, non solum volumus vobis conservare et in eis vos favorabiliter confovere, verum eciam huiusmodi gracias, libertates et iura vobis disponimus in uberi affluencia gracious ampliare.

102.

Ad universorum noticiam cupimus pervenire, quod nos dilecto fi(deli) n(ostro) t(ali) ob multe fidelitatis servicia, que nobis impendit hactenus et inantea exhibere poterit fructuosa, quendam ortum nostrum situm apud t(alem) locum prius obligatum t(ali) et ab eo solutum, pro VII mar(cis) obligavimus et obligamus presencium testimonio litterarum. De quo quidem orto predictus t(alis) annis singulis duarum librarum cum dimidia et decem caponum redditus recipiet pleniores, predictum ortum tenens et possidens tam diu, quousque sibi per nos de predictis VII mar(cis) plenarie fuerit satisfactum. In cuius rei testimonium.

111. Confirmacio in genere¹.

Inmensus et incomprehensibilis sublimis et in summo maiestatis solio residens Dei filius, a quo omnis potestas in celo et in terra nominatur, tanto dignius interne cognitionis mente ab hiis agnoscitur et previsor ac provisor

1) Vgl. Simonsfeld in 'Sitzungsberichte der Münchener Akademie. Histor. Klasse' 1898, S. 525 (Exordium) und 527.